

VITVS THEODORVS THEOLOGVS NORINBERGENSIS.



Vitus à pueris operam literis dedit, & post pri-
ma artium & linguarum fundamenta perce-
pta, se ad academiam Vuitebergensem contulit.
In ea Lutherò præceptore usus, Theologiæ operā
dedit, atq; sacrarū literarum magnam cognitionē
acquisiuit. Accedebat & uite sanctimonia, & natu-
ralis quedam facundia. Id cum prudentissimus Se-
natus Norinbergensis intellectisset, Vitum ad se uo-
cauit, & uerbum Dei annuntiare iussit. id quod ip-
se magna diligentia præstítit. Cum aut ob raram e-
ruditionem ubiq; innotesceret, aliquoties ad Im-
perij comitia uocatus comparuit, & cum aduersa-
rijs de controuerſis articulis disputauit, præsertim
uerò Ratisbonæ 1546, cum Cæſar doctorum virorum colloquium instituisset.
Collegit etiam Lutheri Commentariū in Micham Prophetam, & edidit: præ-
terea in undecim capita Genesis scripsit insuper annotationes in Psalmos: at-
que Eſaiam Prophetam exposuit. quo factum ut docendo et scribendo omni-
bus gratissimus extiterit. Con. Geſſ.